



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Et Epistola Gregorii Papae XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

exorta, nemo vocatorum episcoporum ad Urbem tuto accedere potuit. Cum enim, auctore Gobelino, statim post electionem regimen Urbis senatoribus ablatum restituisset, illi elatiores facti, eiusdem Urbis temporale dominium resignari, omnesque munitiones sibi dedi postularunt, Ladislai Neapolitani regis subsidio impetrato, ad arma conuolarunt. Pontifex rei nouitate obstupefactus, cum nepote Viterbium confugit: vnde post deuictum auctore Vrsino eius militiae duce Ladislaum, a populo reuocatus Romam reuertit, ibique aliquot cardinales, ex quibus tres pontifices postea delecti fuerunt, ordinauit: cumque nepotem suum agri Piceni & Anconensis marchionem, eundemque Firmanum principem creasset, mortuus est, & in sancto Petro sepultus septimo die Nouembris, anno Christi 1406. cum annos duos & dies viginti tres sedisset.



VITA ET EPISTOLA  
GREGORII PAPÆ XII.

ANNO  
CHRISTI  
1406.

**G**REGORIVS XII. patria Venetus, Angelus Corarius antea nominatus, postquam aliquamdiu patriarcha Aquileiensis fuisset, ex cardinale sancti Marci, pridie Kalendas Nouembris, anno Christi 1406. ætatis suæ 80. conditione eadem qua prædecessor electus est pontifex; nimirum vt vi iuramenti ante electionem a singulis cardinalibus emissi pro ineunda vnione & tollendo schismate, pontificatui renuntiaret, modo antipapa Benedictus idem facere vellet. Cumque illud per literas & legationem qua fungebatur Antonius de Butrio iurisperitus eius temporis celeberrimus, semel atque iterum frustra tentasset, animaduersa antipapæ tergiuersatione, vnionem remissius quam par erat promouere cœpit, deditque in mandatis singulis cardinalibus ne Luca discederent, vllaque de causâ ipsi inter se vel cum anticardinalibus conuenirent. A qua sententia ipsi a pontifice male informato ad eundem vel alium melius informandum appellantes, Pisano Concilio indicto & congregato, Gregorium papam cum pseudopontifice Benedi-

cto deposuerunt, anno Domini 1409. cum sedisset annos 2. & menses 8. minus quatuor diebus.

EPISTOLA  
GREGORII PAPÆ XII.

AD PETRUM DE LVNA PSEVDOPAPAM.

De vnione.

*Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis & vnionis effectum.*

QUI se humiliat, inquit veritas, exaltabitur; & qui se Matth. 23. exaltat, humiliabitur. Cuius saluberrimam monitionem, quantum nobis ex alto permittitur, obedienter sectati, decreuimus per literas nostras omni contentione seposita benigne te affari, & ad integrationem ecclesiæ cohortari; imo te inuitare ad id consilium capescendum, quod nos ipsi pro pace ecclesiæ accepimus. Vides quanta mala, quanta pericula, quanta incommoda, quanta denique Christianæ religionis infamia iam per triginta annos ex hac pestilente ac vesana seditione in populum Dei peruenerunt, quantaque, nisi prouideatur, sint quotidie euentura horum omnium malorum, quæ causa ab initio fuerit certa videtur, quibus rigor iustitiæ non cessit, nec forsan æquitas persuasit, nihilo minus tamen graues molestias Christianam religionem perpeffam non dubitatur. Si ergo nunc quoque eodem modo fiat, dubius est remedii locus, quo minus ecclesia in solitis remaneat angustiis, in qua & tu de teipso & conscientia tua videris: nos mentes & intentionem nostram apertissime profiteamur. Non est consilii nostri tempus aliquo modo terere, sed quo validiora, certiora & firmitiora fuerint iura nostra, tanto laudabilius ducimus ea pro pace & reintegratione Christianorum relinquere. non enim de summo iure disputandum est, sæpe rigor ipsi vtilitati & tempori cedit. Nam similiter illa & iure suo & proprio filio spoliari voluit, ne sectationem vnus pueri videret: quanto magis nos, si malitia operante ad optatam vnionem venire non possu-

*Concil. Tom. 29.*

Z

mus, per iustitiæ vias matri cedendum videtur. Quare exurgamus ambo in vnum vnionis affectum, concurramus, feramus salutem ecclesiæ iam hoc diuturno morbo afflicta. Ad hoc te inuitamus, paratique sumus & \* afferimus <sup>f. off. rimus</sup> nostro verissimo iuri & papatui cedere & renuntiare: & efficaciter faciemus, si & quando tu renuntiaueris ac cesseris præsentis iuri & papatui tuo, vel decesseris: dum tamen illi qui apud partem tuam pro cardinalibus se gerunt, sic conuenire & concordare cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus cum effectu voluerint, vt exinde canonica vnus Romani pontificis sequatur electio; ita quod prædicta expeditiorem sequatur effectum, celeriter mittemus oratores nostros, qui tecum de loco habili & decenti ad huiusmodi rei confectionem disponant. Et insuper pendente vnionis huiusmodi tractatu, non faciemus neque creabimus aliquem cardinalem, nisi forsan causa adæquandi numerum fratrum nostrorum cum numero eorum qui apud te pro cardinalibus se gerunt, vt sic pares ex vtraque parte ad solennem & canonicam electionem vni Romani pontificis deuenire possint. Extra hanc autem cœquationis causam, nullum, vt dictum est, creare decreuimus, nisi ex defectu tuo vel partis tuæ steterit, quo minus vnionis præfata conclusio infra annum & tres menses a die inthronizationis nostræ computandum fuerit subsæcuta. Hoc tamen, quod de non creando cardinali tractatu huiusmodi pendente diximus, ita locum habere intendimus, si tu quoque idem obseruabis. Hanc vero \* ablationem & insinuationem de cardinalibus non creandis, ac superiore oblationem renuntiationis modo prædicto, vt strictiori vinculo fierent, iurauimus, vouimus, & promisimus ante electionem nostram eodem vinculo effectualiter adimplendam cum singulis ex nostris fratribus ante dictis, in casu, quo aliquis nostrum ad apicem summi apostolatus esset assumptus, post ipsam assumptionem ad ipsum & firmiorem instantiam denuo iurantes, vouentes, promittentes atque ratificantes. De hoc autem, quod bulla sine impressione nostri nominis est appensa, præsentium nullus debeat admirari. nam ante nostræ coronationis insignia huiusmodi imperfecta bulla abs-

que ipsius impressione nominis habetur. Datum Romæ  
apud sanctum Petrum, &c.

## EPISTOLA I.

## BENEDICTI DICTI XIII.

PSEVDOPAPÆ

AD GREGORIVM XII.

Respondet superiori.

*Benedictus episcopus, seruus seruorum Dei, Angelo dicto Corario,  
quem nonnulli sibi in pernicioso schismate adhærentes  
Gregorium nominant, pacis & veræ vnionis  
affectum pariter & effectum.*

**P**ER quemdam conuersum ordinis Prædicatorum tuas  
die 15. huius mensis Ianuarii literas recepimus, non-  
nulla per ea concepta circa tractatum vnionis ecclesiæ fan-  
ctæ Dei frequenti hætenus per nos repetitione tentatum,  
& ad optatum finem peccatis exigentibus non deductum,  
summarie continentes: quarum tenore perspecto illi gra-  
tias egimus, qui sua ineffabili clementia, quando venit  
temporis plenitudo, nostræ humanitatis indumento con-  
tactus, in suæ natiuitatis exordio diuersos in se parietes co-  
pulans iam cepit, & nunc virum nobis a nostræ promotio-  
nis ad apicem summi apostolatus initio pacem & vnionem  
totis viribus & desiderijs quærentibus talem inuenire con-  
cessit, qui nobiscum, vt tuæ literæ protestantur, in hoc sa-  
lutari proposito Deo accepto, salutis animarum ac com-  
modo mundo necessario, vtili & votiuo nostris affecti-  
bus, si sincera affectauimus & optamus intentione, con-  
currit. Multo etiam hætenus, sicut te nosse non ambigi-  
mus, quod duos prædecessores tuos immediatos in sta-  
tu quem assumpsisti, per nos & nostros sudatum est, vt  
tam exitiale malum de medio Christianitatis euulsam  
radicitus, de militantis ecclesiæ finibus pelleretur. Non  
enim nobis sunt incognita damna, proh dolor, Christia-  
ni populi, quæ iamdudum hæc execranda & detestan-  
da diuisio protulit. Horum autem malorum qui causam  
dederunt ab initio, quæ schisma prorogauerunt, sed con-  
tinuis successibus neglecta iustitia & veritate suppressa fue-  
runt, certum videtur his præsertim qui rei gesta veritatem

*Concil. Tom. 29.*

Z ij

nouerunt, & qui præcesserunt in huiusmodi negotio, de hoc recto libramine ponderarunt. Sed quod referimus, displicentior his nostris negotiis incassum malitia operante, deductis a prædecessoribus tuis ante dictis, quibus vias in instrumento contentas, & etiam alias rationabiles aperi fecimus, & aperiendas recipere & profequi obtulimus nos paratos, nec verbum aliquod effectiuum reportauimus. O te felicem, si ad hoc te Dominus reseruauit, si facultatem ad ea, quæ tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter profequens, nobis in effectu profequendæ vnionis te reddendo conformem spondidisti. De contingentibus nil omittas, ad hoc te piis exhortationibus inuitamus, ad hoc nos promptos reperies, hoc summo opere cupimus, ad hoc nostra aspirauit & aspirat intentio, noster attendit affectus, vt Deo dirigente qui voluit, & eo præstante qui potest, per nostræ humilitatis ministerium, vt vnio in Dei ecclesia desiderata sequatur. Sed non permittit nos dissimulare silentio, imo in stuporem vehementis aspirationis inducit, quod tua scriptura interprete videris innuere, quod per iustitiæ vias ad optatam vnionem venire non potes, vt nobis quodammodo videatur impingi, quod viæ diffensionis veritatis & iustitiæ per nos recusatæ fuerint, vel in aliquo impeditæ. Absit hoc a nobis. nam, teste Deo, nunquam in hoc viam iustitiæ ac diffensionis veritatis recusauimus aut impediimus: imo, vt verum fateamur, eam obtulimus, optauimus & optamus, & erga prædictos prædecessores tuos, te teste, qui, vt percepimus, aliquando interfuisti, & erga alios, quos negotium tangebatur, cum debita sollicitudine quæsiuimus & profecuti fuimus; nec per nos vnquam stetit, stat aut stabit, quo minus iustitia & veritas huiusmodi, quantum ad nos pertinet, videatur & agnoscat, sicut satis ex oblati per nos tuis prædecessoribus ante dictis potest liquide apparere: tamen de iure nostro per scientiam & iuris euentiam sumus certi. Vt igitur de intentione nostra quam habuimus circa huiusmodi schismatis extirpationem & vnionis affecutionem, te reddamus certio rem, tibi præsentium tenore significamus, quod vt tam peroptatum vnionis negotium celerius consequi valeat, & securius executioni demandari, parati sumus

vna cum collegio venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, in loco securo & decenti ac idoneo tecum & cum quocumque successore tuo decedentibus cum prædictis, qui apud partem tuam pro cardinalibus se gerunt, vel gerent, personaliter conuenire pro vnione ecclesiæ tractanda, & fauente Domino obtinenda, vbique prouiso & ordinato de his quæ pro securitate ac acceleratione vnionis prædictæ erunt opportuna & necessaria disponenda, parati sumus pro salute animarum, ac vnione & reintegratione Christianorum, in dicta conuentione personaliter nostro verissimo iuri & papatui pure, libere & simpliciter cedere & renuntiare: & efficaciter faciemus, si tu ibidem consimiliter renuntiabis & cedes prætenso iuri tuo & papatui, vel decedes, dummodo tu, vel quicumque successor tuus, & illi qui apud partem tuam pro cardinalibus se gerunt aut gerent, si, vt præfertur, volueritis & voluerint cum effectu conuenire & concordare nobiscum & cum venerabilibus nostris prædictis, quod exinde canonica vnici Romani pontificis sequatur electio & vnio ecclesiæ sanctæ Dei. Oratores autem tuos, quos, vt asseris, ad nostram præsentiam celeriter destinare proponis, libenter videbimus, benigne audiemus, & caritatiue tractabimus, eisque iam saluum conductum per dictum conuersum destinauimus. Quod etiam de abstinendo a creatione cardinalium, nisi in certis casibus, intimaui, volumus & intendimus obseruare. Festina igitur, tolle moras, concurre nobiscum, & considerans humani operis breuitatem, tantum bonum non vltra differendo procrastines, sed celeriter vias salutis & pacis amplectaris, cum tandem in extremo iudicio cum numerosa multitudine eorum qui nos in hac, quam præstolamur, vnione sequentur, quam ad illius ouile, præstante Domino, reducemus. Ipse pastor bonus, qui pro ouibus suis animam suam posuit, nos, vt de eius misericordia speramus, in dilecta sua tabernacula introducat. Datum Massiliæ apud sanctum Victorem.

## EPISTOLA II.

BENEDICTI XIII. PSEVDOPAPÆ  
AD PAVLVM LVCENSIVM DYNASTAM.

In Gregorium acriter inuehitur.

*Benedictus episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio nobili viro  
Paulo domino Lucæ, salutem & apostolicam benedictionem.*

**P**ROPTER nonnulla in quibusdam partibus innouata, quæ sensibus quasi palpantibus nobis innotescunt, considerato præsertim, quod cum Angelo dicto Corario, qui in hoc pernicioso schismate se facit appellari Gregorium, post varios & sæpe tentatos labores, non sine personarum iactura, aliquem effectum ad bonum finem ecclesiæ vnitatis obtinere nequiuimus, de venerabilium fratrum nostrorum consilio & frequenti eorum instantia pulsati, deliberauimus pro præsentī corporali præsentia deferre partes illas, & nos cum collegio nostro reponere in securo. Vt igitur scias ecclesiastica negotia qualiter remaneant pro præsentī, elicere poteris ex tenore literæ quam scribimus dicto Angelo Corario sub hac forma.

*Angelo Corario, qui in hoc pernicioso schismate se fecit nominari Gregorium, pacis & vnionis affectum pariter & effectum.*

Si te fateri veritatem non pigeat, præsertim cum sit notorium, celare non poteris ea quæ tuis literis intimando etiam promulgasti per orbem, vt ex vtriusque cessione pax daretur ecclesiæ, & quod scriptis tuis per nos ad hoc cessionis viam offerendo dato responso, & de conuentione in ciuitate Saonenſi pro excusatione oblatorum hinc inde secuta concordia conuenire in statutis terminis renuisti, & quibusdam interpositis per te excusationibus friuolis, post dilationes varias a te datas, post aduentum nostrum ad hunc locum, ad quem nos traxerunt Christi caritas & feruor compassionis animarum, bona fide simpliciter incedentes, non absque nostri atque nostrorum fatigatione, & graui personarum iactura, per plurium mensium interualla cum Christianorum scandalo renuisti, caute per verba, & quod referimus displicenter, denegatis multis, etiam nonnullis per te oblati, quæ ad execu-



tionem concordatorum ad vnionem perficiendam erant plurimum vtilia & opportuna : de \* vberiori tecum tractatu super huiusmodi vnione prosequenda omnem spem tollendo , nuntios nostros, eisdem prorogationem salui conductus & audientiam denegando , a tua presentia vacuos remisisti. Hæc autem libenter silentio transiremus, nisi tua contumacia reciperet ex nostra taciturnitate fomentum. Postquam autem apud te passâ est frequens nostra instantia repulsam , propter quædam in nonnullis partibus quibusdam instigantibus innouata , absque personali nostro & nostrorum periculo in his partibus moram trahere non valentes , cum apud te , vt clare cernitur , proficere non possumus , nolentes Deum tentare imminente periculo, ad aliquem locum, vbi nos cum nostro collegio valeamus hoc turbationis tempore reponere in securo, de fratrum nostrorum consilio eorumque instantia pulsati decreuimus declinare. Sed ne videamur, sicut nec intendimus , aduersitate intercedente huiusmodi \* persecutionem vnionis dimittere neglectam , de dictorum fratrum consilio deliberauimus, nuntios nostros plena potestate fulcitos ( qui, si velles ad cor reuerti, possent ad effectum vnionis & oblatorum procedere efficaciter in agendis) hic dimittere: impediens tamen ambassiatoribus carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustrissimi in his partibus moram trahentibus, saluus conductus dictis nuntiis necessarius non potuit obtineri. Quid autem super hac re simus vltius, Deo auxiliante, facturi, intendimus vniuersis Christi fidelibus breuiter intimare. Tu vero, o homo, si scintilla compassionis animarum in te viget, quæ secundum Deum pro bono vnionis agenda restant, considera, & ad ea quæ obligaris ex debito, pro Dei misericordia te dispone, refecatis carnalibus desideriis, quæ contra animas militare non cessant. Nos enim ad oblata per nos semper promptos reperies, præteritos defectus tuos & contumaciam, si bene egeris, in memoria non tenentes. Deum enim in iudicem & negotiorum notorietatem in testem inuocamus, quod per nos non stetit, stat, aut stabit, quin vera vnio inducatur. Idus Iunii, pontificatus nostri anno xiv.

\* al. vlt. niori

\* al. prosecutione